

Orémus.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiám tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxiliis, et spirituálibus semper proficiat incrementis. Per Christum Dóminum nostrum. R̄. Amen.

✠ Non omittitur Memoria sancti Patris Dominici, etiamsi de eo in Feria ij. faciendum fuerit Officium aut Memoria in Vesperis de die.

Ad Memoriam de Sanctis Ordinis Prædicatorum.

Antiphona. Christi pia grátia Sanctos sublimávit, quos Patris Domínici Ordo propagávit : nos eórum méritis pítimus juvári, atque suis précibus Deo commendári.

V. Sapientiam sanctorum narrent populi. R̄. Et laudem eórum nuntiet Ecclesia.

Orémus.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctórum Ordinis nostri exémpa nos próvo-cent : quatenus quorum memóriam ágimus étiam actus imitémur. Per Christum Dóminum nostrum. R̄. Amen.

Ad Memoriam de omnibus Sanctis.

Antiphona. Sancti Dei omnes intercédere dignémini pro nostra omniúmque salute.

V. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. R̄. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Orémus.

Oratio.

TRIBUE, quæsumus Dómine, omnes Sanctos tuos júgiter pro nobis oráre, et eos cleménter exaudíre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. R̄. Amen.

Ad Memoriam de Pace.

Antiphona. Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.